



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XLIV [i. e. XXXV]. Qvomodo Ad Consecrationem monasterii de ægritudine
diuino auxilio conualuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

QVOMODO AD CONSECRATIONEM monasterii de agitudine diuino auxilio conualuerit.

QUODAM tempore dum monasterij cuiusdam consummatio dedicationem expectaret, & omnia quæ huius officij ratio poscebat in corporalibus & spiritualibus laute ac diligenter præparata fuissent, omnibus in expectatione positus præsul grandæuus molestia corporis laborauit adeoq; infirmatus est, vt ad opus consecrationis vires minimè habens, misso nuncio, in vigilia beati EGIDII ad aliud tempus dedicationem transferendam statueret. Sed quia parata erant omnia & cupientibus animis omnis dilatio inuisa est, duplici mœrore Ecclesia turbari cœpit, pro languore videlicet Episcopi, & pro frustrato desiderio expectatæ consecrationis. Quocirca orationes non cassas mittunt ad dominum vires ac sanitatem præsuli obnixè postulantes. Igitur meridiano tempore in lecto recubans & sopore paululum pressus puerum coram se per somnum ludentem & saltantem videt Episcopus, ac de Psalmo versum crebro cantantem: In domum Domini lætantes ibimus. Expergestus vero, ægros prius artus, fortes inuenit & vegetatos. corpus leuat, sentit gratiam sanitatis redisse: cubicularios citat, interdictum consecrationis mutat, proximoque in die sancti EGIDII sicut antea voluerat in magna lætitia Ecclesiæ dedicationem peragit. Domino sibi vires administrante.

XLIV.

Psal. 122.

000 2

QVOMO.